

6 DE AEQVILIBRIO MORALI

12. Hac autem ratione, e plenitudine Christi gratiam pro gratia haurire secundum Ioh. I, 16. est, in gratiæ gustu ac usu ita versari, ut digna acceptæ gratiæ collocatio novæ ac uberioris affluxum pariat: quandoquidem non nisi ita habenti datur, ut abundet Matth. XIII, 12.

DEFINITIO FIDELITATIS:

*Fidelitas* est ille animi justificati ac magis magisque renovandi habitus, quo is e principio divinæ justitiae ac sanctitatis, in digna acceptarum virium collocatione, secundum legis moralis præscriptum, cum frequiore exploratione sui, per amorem bene ordinatum, singula officia sua, Deo, sibi ipsi, ac aliis omnibus debita, promte, sincere, ac perseveranter exequitur, conscientiæ rectæ ac bonæ tuendæ hac ratione studiosissimus.

ILLUSTRATIO.

I. *Fidelitas* a fide, seu fiducia, ita differt, ut effectus a sua causa,